

1696.

1. Bahr, Johannes; Fac. med. procancelarius l. s. 1.
(ad actum disputatorium Polycarpi Gottlieb Schacheri
iuridat)
2. Bahr, Johannes: De angina.
3. Pienel Dorff, Johann Gottfried: De potestate
statuum imperii protestantium circa
4. Lieder, Hermann: De abusu publicae datus
5. Aglier, Augustus: De conditione (siquis conduc.
lionis 25 C. de locato conducto.
6. Olearius, Johannes: De episcoporum primitivae
et modernae ecclesiae discrimine.
7. Olearius, Johannes Augustus: An liberi contra pater-
nes, injustos rite eorum aggressores, cum pater-
num morte se defendere liceat?
8. Rechenberg, L. Adam: De prerogativa imperii
principis protestantis.

1696.

9. Siverij, Hieronymus : De nominibus, quae ab necessitate
sunt creata falso in dicitur

1697.

1. Bohn, Johannes, Fac. med. procurator Marius. Saluten
(ad actum solennem Michaelis eius) Immunitatis iuribus

2. Bahuius, Johannes : De medici officio

3. Cellius, Ludovicus Christianus : De seglala Laconica

4. Diersel dorf, Johann Gottfried : De potestate statuum
imperii protestantium circa matrimonium subditorum

... inque de jure suo suspendendi et resolvendi
in Divinae vitae consuetudinem

5. Langius, Gottfried : De aequivoce dictis

6. Menckensius, Luederus : De statutorum non confu-
matorum effectu

7. Menckensius, Luederus : De rebus ex tantibus uxorem
a concursu creditorum separandis

8. Menellius, Ludovicus: De proceratione agrorum
 fore cognatis in incipientia tutela curare quod
 allodium est feudum
9. Mylius, Andreas: De inveniendo eorum institutis
 actionibus.
10. Philippus, Fridericus: De agris vectigalibus.
11. Schieferdecker, Johann David: De triumphis et ora-
 tionibus Romanorum.
12. Schmidius, Johann: De periodicis creditum
13. Surenherius, Barthol. Lencardus: Annotationes
 juris feudalis ad lucubrations j. R. Surenherii 2:
 de auctoritate juris feudalis.
14. Surenherius, Barthol. Lencardus: Annotationes
 juris feudalis ad lucubrations j. R. exercitales 11:
 de divisionibus feudi quoad feudum proprium.
15. Surenherius, Barthol. Lencardus: De publicatione
 nominis ubi:

1697.

16. Trenden doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. Exercitatio III:
De notatione et definitione feudi.

17. Trenden doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. exercitatio V:
De divisionibus feudi quoad feudum in proprium

18. Trenden doerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubraciones j. R. exercitatio
De origine feudorum.

19. Wertherus, Joh. Baltheus: De actionibus naturalibus,
quae ~~sub~~ juris naturalis objectum constituent, materia
atque formali

20. Wertherus, Adamus Baltheus: De sponsalibus sub
conditione contractis

1697, 12 47

21

Q. D. B. V.
De

**PALINODIA
ERUDITORUM,**

PRÆSIDE

DN.

JOHANNES SCHMIDIO,

SS. Theologiæ Lic. Eloquentiæ Prof. Publ. Colle-
gii B. Mariæ Virginis Prapósito & Seniore, Alumnorum
Electoral. Ephoro, Facult. Philosophicæ
tertium Decano,

*Patrono & Præceptore suo æternum
de venerando*

differet

AUCTOR ET RESPONDENS

JOH. CHRISTOPHORUS OLEARIUS,

Querf. Sax. SS. Th. Stud.

Ad diem 24. Decemb. A. O. R. c15 Ioc XCVII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis IMMANUELIS TITII.



P 525



V I R O

Magnifico, Summe Reverendo, Amplissimo atque Excellentissimo

DOMINO
JOH. AUGUSTO
OLEARIO,

SS Theol. D. Celeberrimo, Serenissimo
Duci Saxon. Johanni Georgio à Confessionibus
sacris, Concionibus aulicis Primariis, Con-
siliisque Ecclesiasticis,


DN, PATRUELI & PATRONO

Omni observantiæ cultu prosequendo

Disputationem hanc in debitiæ observantiæ
symbolum.

Dedicat & offert
A. & R.

JOH. CHRISTOPH. OLEARIUS.



PRÆFAMEN.



Inter vitia, quibus & Eruditorum genus urgetur, illud commune imprimis est, quo, licet meliora moniti, obstinati tamen sententiam suam mutare nolunt, sive philantiâ aliquâ aut arrogantia, sive malitia quadam aut inscitia inducti id faciant. Hi equidem recte comparandi lippis, qui quamvis possint videndi aciem recuperare, cœcutire tamen potius velint, quam acutum cernere. Erat talis *Macarius*, qui prius milles se moriturum, quam de susceptâ sententiâ discessurum affirmabat, teste *Sigonio lib. 1. Regn. Italia. p. 49.* Cui non dissimilis fuit *Polychronius*, qui cum Præceptore suo *Macario* errare, quam cum aliis recte sentire maluit. Ne memoremus *Matthiam Flacium*, qui præcipiti linguâ in errores de-

latus, ut illum revocaret, nunquam potuit ad-
duci. Tanta scilicet quorundam, quod de pri-
scis Germanis scribit *Tacitus c. 24.* in re pravâ
pervicacia est: ipsi constantiam vocant. Sed
maneant illi αὐτὸς πᾶντες, nos eos longè majoris
æstimamus, qui cum Phrygibus, licet serò, de-
mum sapiant, quosque cum augustissimo Hip-
ponensium Episcopo *August. de Trinit. lib. 1. c. 2.*
Et 3. opp. T. 3. p. m. 240. sq. non piget, sicubi hæ-
sitaverint, quærere, sicubi erraverint, discere, er-
roremque suum emendare. Atque hi quidem
digni nobis visi sunt, de quibus præsentem con-
scriberemus Disputationem. Hinc rubrum ei-
dem fecimus de *Eruditorum Palinodiâ*, cujus
postquam naturam perpenderimus, nonnullis
exemplis eam reddemus illustriorem, tandem-
que epicrisi quadam coronidem labori impone-
mus. Faxit Deus, qui pectora movet, ipse im-
motus, feliciter!



Enè *Isidorus Lib 1. Orig. c. 28. Cum videris, inquit, unde ortum est nomen, citius vim ejus intelliges. Omnis enim rei inspectio Etymologia cognita plenior est.* Id quod & nos monet, Tractationi Thematis nostri aliqua ad definitionem nominalem facientia præmittere. Palinodiam verò natales suos Græciæ debere, quis est, qui non videat, & ex ipsâ compositione intelligat? Etenim à *πάλιον* iterum & *ὠδή* cantio, deduci vel tyronibus erit notum. Unde si latinè voles reddere ad verbum dices: Cantum iteratum seu recantationem. Factum verò est, ut proverbialiter *παλινωδεῖν*, seu palinodiam canere, idem sit, *Erasmio* interprete, in *Chiliad. 1. Cent. 9. adag. 59. p. m. 247. ac diversum ab iis, quæ prius dixeris, dicere, atque in contrarium vertere sententiam.* In quò & habemus consentientem *Suidam in Hist. p. m. 742.* ubi palinodiam canere, dicit esse *παροιμίαν δηλοῦσαν τοῖς προτέροις ἐναντία εἰπεῖν* i. e. proverbium significans contraria dicere prioribus. Cujus significationis originem ex historiâ vel potius fabulâ, quæ apud *Platonem in Phædrô p. m. 449. Isocrat. in Encomio Helenæ p. m. 519. Pausan. l. 3. c. 19. p. m. 260. Suidam in Histor. p. m. 926.* aliosque à *Schotto in Adag. Cent. XI. ad 56 p. 510.* citatos legitur, cum aliis deducere, eamque paucis delineare non pœnitebit. *Tisias*, Lyricus Poëta, dictus ab *Himerâ* Siciliae urbe, *Himeræus*, & ab eò, quod primus cum citharæ cantu chorum conjunxerit, *Stesichorus*, acerrimò aliquando carmine in *Helenam* invectus, eam, ut *Trojani* belli facem accusaverat, atque ob id oculis orbatus fuerat, sed certior de cœcitate causâ ab *Achille* factus mutavit mentem aut certè calamum, editòque poëmate, quod palinodiam vocat, *Helenam* prius vituperatam laudavit, atque ita visum amissum recepit. E quò carmine binos versus recitat *Plato*, qui, interprete *Marsilio Ficino*, latinè ita sonant:

A 3

Nec

Nec verus sermo ille fuit, nec navibus altis

Existi fugiens, nec adisti Pergama Trojs.

Ad quod Stesichori factum respicit & Augustinus Ep. 9. opp. T. 2. p. m. 41. ad Hieronymum scribens: *Quare arripe, obsecro te, ingenuam & verè Christianam cum charitate severitatem ad illud opus corrigendum atque emendandum, & palinodiam, ut dicitur, cane. Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius nostri martyres adversus hanc Sodomam, quàm pro illà illi heroes adversus Trojam dimicaverunt. Neque ego ideò dico, ut oculos cordis recipias, quos absit, ut amiseris, sed ut advertas.* Ad hanc fabulam & Ovidius alludens l. 1. de Ponto Eleg. 1. canit:

Talia cælestes fieri præconia gaudent,

Ut sua quid valeant numina, teste probent.

Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,

Cum bene peccati pœnituisse vident.

Plura desiderans adeat *Lilium Greg. Gyraldum*, qui prolixè *Dial. 9. de Hist. Poët. p. 333.* hâc de re agit.

§. 2. Palinodia apud Græcos etiam vocatur *παλιλογία*, vid. *Theophrastum in Character. c. 2.* *Παλιωδῆν* Græcorum, Latini varie exprimunt, apud eosdem enim revocare, retractare, retexere, recantare eodem sensu usurpari notum est.

§. 3. In diversa autem significatione, palinodiam canere apud Scriptores occurrit. Apud *Lucianum* pro vitæ immutatione usurpatur. Homines enim, qui à virtutibus in vitia collabuntur, vitam antea actam vitiis se dedentes retractando, *παλιωδῆν πρὸς τὸ χεῖρον* dicit. A Jctis autem pro illatæ injuriæ revocatione accipitur. Sic enim ab illis actio ad palinodiam describi solet, quod sit actio personalis, civilis, rei persecutoria, quâ is, cui factum aliquod turpe objectum est, contra injuriantem intendit, ut dicta famosa reclamet, eaque à se injuste prolata fateatur, læsamque quodammodo existimationem actori apertè restituat. vid. *B. D. Eckolt. in Pand. l. 47. tit.*

X.

X. §. 23. p. 1266. Confer B. D. Geislerum in Diss. de Actione Injuriarum ad palinodiam C. IV. §. 9. D. Hartungium de Actione ad Palinodiam thes. 4. aliosque longè plures. Sed missis his, aliisque acceptionibus, palinodia nobis h. l. pro sententiæ approbatæ revocatione sumitur.

§. 4. His ita de nomine præmissis, Palinodiam Eruditorum sequentem in modum describimus: *Palinodia Eruditorum est actio, quæ eruditi sententias sibi aliquando approbatas ceu erroneas improbant, multiplicis ac diversi finis gratiâ.*

§. 5. Cum in definitione propositâ circa genus nihil, quod moneamus, occurrat, ad differentiæ, quatuor causarum genera repræsentantis, illustrationem pedem promovemus.

§. 6. Quamvis rudes etiam atque illiterati sententiam suam, cui prius addicti fuere, sæpius mutare, aliasque adsciscere soleant, cum tamen de Palinodia Eruditorum, ut ex Disputationis titulo satis elucet, in præsentia agere nobis proposuerimus, causam efficientem nullam aliam, quàm Eruditos constituere possumus. Eruditorum autem nomine nobis veniunt hîc omnes, qui multarum rerum scientiâ pectus suum imbuerunt, sive veram, sive falsam religionem profiteantur, sive Theologorum, JureConsultorum, Medicorum, Philosophorum aut Philologorum ordini adscribantur, sive quocunque aliò modò à se invicem aliàs discernantur.

§. 7. Materia circa quam sive Objectum Palinodiæ sunt sententiæ, quam eruditi aliquando approbarunt. Perinde autem est, utrum illæ sententiæ prius approbatæ à veritatis tramite abeant, sive cum rei veritate conveniant. Etenim non tantum palinodiam canere dicuntur, qui opinionem verè falsam rejiciunt, ac meliorem assumunt: sed &, qui opinionem in se veram ceu erroneam relinquunt, atque loco ejus aliam, quæ veritati magis consentanea videtur, suam facere solent.

§. 8. Forma palinodiæ consistit in sententiæ prius approbatæ, ceu erroneæ, voce vivâ aut scripto factâ improbatio-

ne.

ne. Notanter addo, voce vivâ aut scriptô. Nam si vel maximè eruditus aliquis sententiam, cui per tempus aliquod addictus fuisset, intra animum suum falsam judicaret, eamque ceu erroneam rejiceret, idem autem nullo signo externo testaretur, neque aliis voce aut scriptô significaret, illum palinodiam cecinisse nemo facile dicet. Perinde verò nobis est, sive quis suo opte motu sententiam olim approbatam revocet, sive metu quodam adactus idem facere cogatur. Neque etiam refert ex sincero an fucato animò proficiscatur palinodia. Cum enim homo alterius animum neutiquam introspicere, adeoque nec iudicium infallibile de illo formare queat, censendus erit opinionem suam, ceu erroneam, rejecisse, qui voce viva aut scripto idem profiteretur, si vel maxime intra se eandem ut veram adhuc foveat & amplectatur. Nec ad palinodiæ formam pertinet, ut quis rejectâ, quam prius foverat, opinionem, aliam ceu veram assumat. Equidem ex opinionibus, quæ contradictoriè sibi opponuntur, adeoque omne medium excludunt, non potest non quis unâ improbatâ, alteram approbare: v. g. Si quis Socinianus sententiam suam, Christum non esse Deum falsitatis damnaret, utique alteram, quæ Christum esse verum Deum asserit, ceu veram amplecti ac profiteri cogeretur: ast in rebus, quæ tres, quatuor, imò longe plures opiniones admittunt, non necesse est, ut quis aliquâ sententiarum, cui hactenus addictus fuit, repudiatâ, ex reliquis aliam ceu veram approbet, sed iudicium suum super cæteris planè suspendere potest. Sic Theologus v. g. palinodiam cecinisse dici poterit, si sententiam suâ circa vexatissimum Scripturæ locum *1. Cor. 15, 29.* sibi aliquando approbatam ceu erroneam rejiceret, licet aliam, ut veritati magis consonam non amplexaretur. Attamen inficias ire nolumus in palinodiâ cum prioris sententiæ rejectione alterius professionem quàm frequentissimè esse conjunctam. Multò minus autem ad palinodiæ essentiam requiritur, ut sententiæ cujusdam retractatio cum detestatione sit

fit

fit conjuncta. Quamvis enim hæc cum istâ non rarò concurrat, ad palinodiæ tamen rationem formalem, & ut semper adsit, minimè requiritur. Ecquis enim ab eruditò palinodiam canente exigere vellet, ut is opinionem falsam, inprimio circa rem levidensem, & non adeò magni momenti, cum detestatione semper revocaret.

§. 9. Palinodiæ finem multiplicem esse variumq; , meritò dicimus, cum Eruditorum alii hunc, alii alium intendere soleant. Quamvis enim oppido multi sententias suas erroneas recantent, ut veritatem, quantum in se est, profiteantur, ejusdemque incrementa pro virili quærant; non pauci tamen quoque reperiuntur, qui errores suos revocant, vel sententias in se veras palàm accusare coguntur, ut mortem intentatam, aliaque pericula imminencia effugiant. Nec minor eorum existit numerus, qui assertiones suas retractant, ut de vitâ commodius transigendâ sibi apud alios prospiciant. Quemadmodum sat multi è fidei nostræ consortibus ad castra Pontificiorum confugientes palinodiam canunt, ut ad honores majores & amplissima officia adspirent. Non dubito etiam quosdam asserta sua publicè improbare, & magnorum aliorumque in autoritate constitutorum virorum placita assumere, ut illorum gratiam sibi promereantur. Forsan & reperiuntur, qui effata sua erroris arguunt, ut aliis, à quibus eadem acerrimè propugnantur, ægrè faciant. Et quis omnes omnium Eruditorum, quos in palinodiâ canendâ intendunt fines, divinare audeat?

§. 10. Perlustratâ paucis Palinodiæ naturâ exempla nonnulla Virorum Eruditorum, qui eandem canere non dubitarunt, afferre paramus.

§. 11. Sed ut meliori & distinctiori serie appareant, nec confusò impetu irruant exempla, non incommodè me facturum spero, si in disponendis eruditis receptum quatuor Facul-

B tatum

tatum vulgò sic dictarum ordinem observem, primùm Theologos, deinde Juris Consultos, postea Medicos & tandem Philosophos in apricum producam. Theologos iterum in Veteres ac Recentiores dispescere, atque ad illos, qui a nato Christo ad Seculum XVI. ad hos autem, qui in isto & currente XVII. vixerunt, referre, constitutum est.

§. 12. In IV. Seculo primùm sese nobis offerunt Eusebius Nicomediæ & Theognis Nicææ Episcopi, qui cum Arii exauctorationem sententiis suis approbare nollent, in exilium abire cogebantur, sed post palinodiæ libellum primariis Episcopis transmissum, Imperatoris jussu revocati & pristinae dignitati restituti sunt, ejectis qui in locum illorum surrogati fuerant. Simulatam autem hanc eorum palinodiam fuisse, satis innuit *Nicephorus. l. VIII. c. 43.* post ejus recitationem addens: *Sic illi sub pretextu ovium pellibus amicti lupos egerunt. Nam Imperatoris humanitate ad seductionis commoditatem abusi, & continuæ Imperatoris aulae aditu pristinam dominationem consecuti, res pessimas admiserunt.*

20
§. 13. Sincera magis fuit *Hieronymi Stridonensis*, qui, teste *Sulpic. Severò Dial. 1. de Virt. Monach. Orient. n. 4. p. m. 521.* *præter fidei meritum, dotemque Virtutum, non solum Latinis atque Græcis, sed Hebrais etiam ita literis institutus est, ut se illi in omni scientiâ nemo ausus fuerit comparare.* Quamvis autem insigni adeò eruditione excelluerit, non valuit tamen stupenda hæc linguarum & rerum scientia, arrogantia stimulos excitare, sed nobili fœdere in ipso juncta fuit cum eruditione humilitas, gemma omni existimatione major. Cujus fulgorem in non paucis scriptorum suorum locis de se sparsit, ac errores suos confiteri nullus dubitavit. Equibustria in præsentiarum attulisse sufficiet. *Primus in Comm. ad Es. c. XIX, 17. Tom. 5. Opp. f. m. 30. ita sonat: Melius reor, proprium errorem reprehendere, quam dum erubescio imperitiam confiteri, in errore persistere.* Secundus

dus eodem Tom. f. 122. occurrit, in quò adolescentiæ pruritus
 castigat: pro *πλάσι*, inquit, atque *fiçtore* *statuarius* olim inter-
 pretatus sum, verbi ambiguitate compulsus, quod *statuarius* *fiçto-*
remque unò vocabulo significat. Tertium suppeditat integra
in Abdiam Prefatio, inquâ sensum allegoricum, quò olim in illò
 Prophetâ explicandò usus, improbat his verbis: *Cum essem par-*
vulus, ut parvulo loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogita-
bam, postquam factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui. Si Aposto-
lus proficit & quotidie præteritorum obliviscens, in priora se ex-
tendit, ac secundum præceptum Domini Salvatoris, stivam tenens
post tergum non respicit, quanto magis ego, qui nec dum ad ætatem
perfecti viri, & in mensuram Christi veni, mereri debeo veniam,
quòd in adolescentiâ meâ provocatus ardore & studio Scripturarum
allegoricè interpretatus sum Abdiam Prophetam, cujus Historiam
nesciebam.

§. 14. Jungo huic coætaneum, & ob literarum com-
 mercium postea valdè amicum, *Aurelium Augustinum, Episc.*
Hippon. splendidissimum illud Ecclesiæ in Africâ Lumen, in quò
 hæsitò, utrum magis præclaram illam doctrinam admirer, quâ
cunctos Scriptores & utilitate & numero librorum præcedit, (si *Ja-*
cob. Gaddio in Script. non-Eccles. fides habenda) an magis immor-
 talibus laudibus de prædicandam venerer modestiam? doctri-
 nam satis Orbi egregiis ingenii sui foetibus fecit testatam, *si enim*
hunc habeas doctorem, & deficientibus reliquis hic unus sufficiens
erit: Tritemio judice. Modestix verò luculentum satis testi-
 monium duo *Retractionum* libri exhibent, quos ante obi-
 tum confecit, non parùm *Salomonis* dicto *Prov. X, 10.* incitatus:
In multiloquio non deerit peccatum, ut à Theologo magnò et si
 cum maximis comparetur *B. Dannb. in præf. ad Hodof.* accepi-
 mus. In his enim, observante *L. Ellie du Pin Biblioth. Nov. Script.*
Eccles. T. III. p. 294. non tantum, quæ ipsi obscuriora videntur
 loca, elucidat, & si quæ fortè duriuscula ipsi exciderint, miti-
 gat, ac si quæ dixerit, quæ in deterio rem partem intelligi pos-
 sint,

sint, explicat, indicatque genuinum & legitimum eorum sensum; sed & si quid in scribendō peccavit, & à veritate aberravit, culpam candidè fatetur & emendat. Quod ipsum B. ille Pater satis testatur in aureà *præfat. Retractat. libris præmissâ*. Equâ non possumus, quin sequentia adducamus verba notatu dignissima: *Differendum esse non arbitror, ut opuscula mea sive in libris, sive in epistolis, sive in tractatibus, cum quâdam judiciaria severitate recenseam & quod me offendit, velut censoriò stylo denotem. Neque enim quisquam nisi imprudens, ideò quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit, non ea à me debuisse dici, quæ postea mihi etiam displicerent: verum dicit, & mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum & ego. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissim. Sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ.* Quæ Augustini modestia luculenter etiam è *lib. Confess. & Ep. 7. Opp. T. 2. p. 30. seqq. ad Marcellinum* elucescit.

§. 15. Eodem Seculo V. duo Episcopi Dictinius atque Symphosius cum Comasio presbytero Priscilliani hæresin, qua infecti hæctenus fuerant, in Concilio I. Toletano manifeste rejecerunt, & Priscillianum tanquam hæresiarcham exsecrati sunt. Vid. *Dn. de Aguirre Collect. maximam Concil. omnium Hisp. & novi Orbis p. 137.* Horum tamen professiones fidei suspectas reddere nititur *Quesnellius notis in epistolam 15. Leonis p. 831. sq.*

20
§. 16. Præclarum adhuc in Seculo V. palinodiæ exemplum suppedit *Lucidus*, magni nominis *Presbyter*, Prædestinatorum sectator. Post obitum enim B. Augustini prodierant nonnulli, qui ex optimi illius Viri scriptis male perceptis complures invexerunt errores, quos S. Augustini nomine & autoritate defendere conabantur. Inter hos & erant Prædestinariani, qui idcirco eò nomine vocabantur, quia de prædestinatione & divinâ gratiâ disputantes assererent, nec piè viventibus prodesse bonorum operum laborem, si à Deo ad damnationem præsciti essent; nec impiis obesse, etsi improbe viverent,

verent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitam. Horum errores cum nonnullis aliis, quibus implicitus erat per Epistolam damnavit & revocavit Lucidus. Postquam enim Faustus ex Abbate Lirinensi Episcopus Rhegiensis creatus, ipsum per epistolam, in Synodò Arelatensi ab undecim subscriptam Episcopis, monuisset, quod blasphemus futurus esset, si errores suos pertinaciter defenderet, ignorantia vero tantum levem maculam incurfurus foret, si cito eos respueret; Synodi Lugdunensis 27. Episcopis revocatoriam misit Epistolam, ex qua sequentia delibamus: *Correctio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusam, & salutifera confessione meâ diluam.* Sub finem Epistolæ hujus tenoris legitur subscriptio: *Lucidus Presbyter hanc Epistolam manu propria scripsi, quæ in eâ adstruuntur assero, quæ sunt damnanda damno.* Integram cum omnibus circumstantiis Epistolam lege in *Orthodoxographis Patr. Ep. p. 73. Confer Baron. Annales Tom. 6. ad Annum 490. Biblioth. Pat. Min. Tom. 3. p. 401.*

§. 17. Nec ex retractantium familiâ exclusum velim *Eutychium, Sec. VI. Episcopum Constantinopolitanum*, qui Origenis errorem de resurrectione absque palpabili carne secutus, monitusque à Gregorio, Diacono Romano, ut ab erroneâ & prorsus hæreticâ sententiâ recederet, initio quidem id facere renuit, atque sententiam suam semel adoptatam acriter defendit, instantibus tandem monitis cessit, atque sanioris mentis effectus suum errorem detestatus fuit, ut testatur *Baron. Anal. ad An. 586. Tom. VII. num. 2. seqq. p. m. 737.*

§. 18. E Seculo VII. producimus *Tergestinum Episcopum*, qui cum Monophysitis unam post factam incarnationem in Christo esse naturam affirmaverat, sed suâ sponte cum aliis eodem errore infectis ex Oriente sub Gregorio Romam venit, eum in finem, ut ibidem erroneæ suæ opinioni cum detestatione nuncium mitteret. Ex palinodiæ formula, quam *BA-*

ronius ad Ann. 602. n. 3. Tom. 8. p. m. 174. sequentia decerpere ju-
vabit: Ego ille civitatis illius Episcopus compertò divisionis laqueò,
quò tenebar, diutinà mecum cogitatione pertractans, pronà & spon-
taneà voluntate ad unitatem Sedis Apostolicæ, divinà gratià duce,
reversus sum. Et ne non purà mente, seu simulatè reversus existi-
mer, sub mei ordinis casu spondeo, & anathematis obligatione, atque
promitto Tibi, & per Te S. Petro Apostolorum principi, atque ejus
Vicario, beatissimo Gregorio, vel successoribus ipsius, me nunquam
quorumlibet svasionibus ad schisma, de quo Redemptoris nostri mise-
ricordià liberante sum ereptus, reversurum, sed semper in unitate
S. Ecclesiæ Catholicæ & communionis Rom. Pontificis per omnia per-
mansurum.

§. 19. In VIII. Seculo non incelebris Orgellorum Episco-
pus, Felix memorandus occurrit. Hic infelici admodum er-
rore Jesum Christum secundum humanam naturam non na-
turalem, sed adoptivum Dei filium esse cum Elipandò asseruit.
Indicta est hujus erroris causà à Carolò M. Reginoburgi Synodò,
in quâ ille à frequentibus ex Germania, Gallia & Italia Episcopis
erroris sui convictus eundem Romæ coram Adriano Pontifi-
ce An. 792. revocavit. Vide *Aventini Annales p. m. 251.* Quam-
vis idem postea ad priorem mentem redierit, & novæ Synodi
post biennium Francofurti institutæ causam dederit, in quâ,
an errorem renovatum agnoverit atque abjecerit, suasque
dignitates recuperaverit: an verò (ut *Adon Viennensis* vult)
in errore perstiterit, Lugdunumque deportatus, ibique in er-
rore mortuus fuerit, in medio relinquo. *Vid. Cent. Magd. Cent.*
8. c. 5. p. 173. colat. c. 9. p. 353.

§. 20. Seculum X. nobis sistit *Berengarium, Andegavien-*
sis Ecclesiæ Archidiaconum, qui occasione transubstantiationis
Pontificiæ gravissimum in errorem de Sacrà Cœnâ incidit,
quòd scilicet panis & vinum corporis & sanguinis Domini sint
solum figuræ & præter has nihil in Sacrà Cœnâ accipi. Ali-
quot in illum Synodis Romanâ, Vercellensi, Turonensi & alte-
rà Ro-

râ Romanâ adornatis, res eò devenit, ut ventilatâ hinc inde
controversia manus victas dederit, & libro Scoti, ex cuius le-
ctione errorem hauserat, in ignem conjectô, palinodiae for-
mulam, præeunte Humbertô, recitaverit. Quam cum uni-
versâ historiâ legere licet in *Beat. Heinrici Mülleri Diss. de Beren-
garianismô & Tom. IV. Concil. Universal. & Partic. p. 74. Edit. Ve-
net. & B. Dannb. Ref. Salve. p. 121. seq.*

§. 21. Septem simul retractantium exempla, quæ ad Se-
culum XIV. pertinent, in *Bibliothec. Maxima Vet. Patr. Tom. 26. p. 482. seqq.* reperire licet. Sed cum nimis prolixum foret
singulorum referre sententias, nomina ipsorum indicasse suf-
ficiat. Inter hos primus comparet *Job. Guido Minorita*, qui
quatuor errores *An. 1318. d. 2. Octob.* damnavit, sequuntur *M. Job. Nicolaus de Ultricuria, An. 1348. Parisius, Simon, An. 1351. F. Guido ex Ordine Eremitarum August. An. 1354. Ludovici, An. 1362. Job. de Calore An. 1363. ultimus Dionysius Soulechat ex Ord. Frat. Min. bina vice, altera Avenoe An. 1365. altera Paris. A. 1369.* qui ad unum omnes propositiones suas partim blasphemix, partim falsitatis stigmatibus notatas ejurarunt.

§. 22. Ultimum inter Veteres Theologos locum occupet summus sedis Apostolicæ Antistes, Pius II. antea Æneas Sylvius dictus, qui Augustini Exemplum, ut ipse tradit, secuturus, Bullam Retractationis edidit, ac in eâ damnavit, quæ contra Pontificis auctoritatem, ut notarius Apostolicus in Concil. Basileæ celebratô scripserat. Vide *Tom. IV. Concil. Universal. & Partic. Concil. Basil. Sess. 38. p. 527.* Ex hac Bulla Retractationis, si nonnulla, licet paulo prolixiora, notatu tamen dignissima, in medium attulero, rem Benevolo Lectori non ingrati me facturum confido. Sic autem ille: *Nonnulli, ne vel ad horam videantur errasse, semper errant, & qui, ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. Nos homines sumus, & ut homines erravimus, pudet erroris, poenitet malè fecisse. Scripta & semel emissa non sunt amplius in potestate nostrâ, quæ in multas incide-*
runt

runt manus, utinam latuissent. Qui hæc scripsit, inquit, in B. tandem Petri cathedrâ sedit, Christi Salvatoris vicarium gessit? ita Æneas, qui postmodum Pontifex Pius, II. appellatus est, scripsit? nec invenitur mutasse propositum. Cogimur autem dilecti filii B. Augustinum imitari, idem correxit, idem & nos faciemus. Confitebimur ingenuè ignorantias nostras, ne per ea, quæ scripsimus juvenes error irrepât, qui possit in futurum apostolicam sedem impugnare. Si quid adversus hanc doctrinam (de Pontificis autoritate, quam præmiserat) in Dialogis aut epistolis nostris, quæ plures a nobis sunt editæ aut aliis operibus, respuite & contemnite. Sequimini quæ nunc dicimus, nec privatum hominem pluris facite, quàm Pontificem; Æneam rejicite, Pium recipite. Ex eò autem, quod Pius II. aliqua damnasset Pontifex, quæ prius probasset, hoc scommate à quodam notatus est: Quod Æneas probavit, Pius damnavit. Vid. Bellarm. de Script. Eccles. p. 415. Bucholcerum in Indice Chronologico p. m. 469. Venerandi Dni. Patruelis Abacum Patrum p. 385. cum Frebero in Theat. Clar. Vir. p. 3.

26
§. 23. Progrediendum nunc ad aliquot recentiores Theologos, potissimum Germanos, & quidem in præsentem tantum ad eos, qui fovent aliquam religionum publica autoritate in Imperiò Romanò receptarum. Ex nostris meritò sibi primum locum vendicat B. Lutherus, vir omni invidiâ & exceptione major, de cujus laudibus hîc dicere superse- deo, cum longè satius ducam, de eòdem tacere, quàm incom- tâ laude veram illius laudem obterere. Non possum tamen mihi temperare, quin afferam notatu maximè dignum elogi- um, quo ipsum maectavit Calvinus in Ep. ad Bulling. An. 1544. d. 25. Novemb. ita scribens: Hæc cupio vobis in mentem venire, primùm quantus sit Vir Lutherus & quantis dotibus excellat, quantâ animi fortitudine & constantiâ, quantâ dexteritate, quantâ doctrinæ efficaciâ hætenus ad profligandum regnum Anti- Christi, & simul propagandam salutis doctrinam incubuerit. Se-
pe

pe dicere solitus sum: etiamsi me Diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, ut insignem Dei Servum agnoscam. Plura de Luthero testimonia, cujus intererit, legere poterit in *Georgii Mich. Pfefferkorn. guten Urtheilen von Luthero*. Hujus palinodiam multis depingere supervacaneum judico, cum vel pueris fatis notum sit, ipsum errores Pontificios, quibus prius addictus fuerat, publicè damnasse, & Papam ejusque traditiones cum Christo & Evangelio commutasse. Et quamvis Pontificiæ autoritatis metu percussus Lutherus non omnibus erroribus statim nuncium miserit, sed nonnullis adhuc dogmatibus de purgatorio, indulgentiis, missa, satisfactione, peregrinationibus & Mariâ, sectæ Pontificiæ propriis, per tempus aliquod, adhæserit, uti constat ex *Tom. I. Opp. Altenb. fol. 60, 61, 294, 495, 768*. attamen & ab his tenebrarum Pontificiarum nebulis se tandem liberavit, easdemque disjecit, illuminatione divinâ per Scripturas facta in veritate magis confirmatus. *Vid. Tom. Altenb. I. fol. 9, 11, 12. Tom. II. fol. 191. Tom. VIII. Prefat.* In quâ doctrinæ puritate ad finem vitæ usque perstitit, absolutissimum, (non, ut Pontificii volunt, abortivum) Naturæ opus, postquam satis diu gloriæ & naturæ, non verò Ecclesiæ vixerat.

§. 24. Illustre quoque Palinodiæ exemplum præbet *Petrus Paulus Vergerius*, Vir, judice *Thuano L. 5. ad An. 1548. p. 102.* magnæ doctrinæ, qui Pauli nomen gerens, Pauli etiam mores secutus fuit, & ex Saulo Paulus factus. Quemadmodum enim Paulus primò fidelem Christi gregem acerrimâ persecutione afflixit, sed voce Christi cœlitus ad ipsum factâ conversus maximo Christianismum propugnavit opere: sic & Noster, quamvis olim Lutheranis omnibus modis ægre facere, & Pontificiorum religionem magno studio promoveri studuerit, inprimis, cum anno trigesimo superioris Seculi in Germaniam ad Comitata Augustana à Pontifice Clemente VIII. mitteretur, & rursus Pontificis Pauli III. mandatò Germaniam adiret,

C

ret,

ret, ac Principibus Protestantibus Concilium Mantuæ futurum indicere cogeretur: nihil tamen minus ad meliorem mentem rediit, & abdicatis Pontificiæ religionis dogmatibus doctrinam Lutheranorum secutus fuit. Quod, quâ ratione acciderit, breviter adhuc enarrare conabor. Cum pro fidei operâ sedi Romanæ per multos annos præstitâ in præmii vicem Paulus III. dignitatem Cardinalitiæ Vergerio destinasset, sed postea à quibusdam susurronibus percepisset, Vergerium consuetudine Germanorum factum esse Lutheranum, propositum suum mutavit. Id quod cum comperisset Vergerius, ut se ab imputatâ culpâ vindicaret, adversus Apostatas Germaniæ librum edere parat. In quo elaborando dum occupatus esset, & libros Lutheranorum diligenti studio evolveret, seipsum convictum sensit, & Fratrem Johannem Baptistam, Polæ Episcopum, re tota ipsi expositâ, in partes suas pertraxit: qui mutuò sibi de veritatis agnitæ lumine gratulantes populum per Istriam in verâ Evangelii doctrinâ informarunt. Postea cum ob diram contra Lutheranos motam persecutionem ad Tridentinum Concilium sui purgandi causa profectus esset, à Legatis autem Pontificiis discedere juberetur, Venetias atque inde Patavium petiit, ubi horrendo Francisci Spiraë desperantis exemplo in fide verâ non parum confirmatus spontaneum exilium elegit, atque ad vicinos Rhætos pervenit, apud quos, cum annis aliquot Evangelii doctrinâ tradidisset, Tubingam evocatus venit, ibique fatis 1565. concessit. *vid. Melch. Adamii Vit. Theol. Exter. p. 116 & B. Avi Bunderliche Güte & Gottes item Hoffmanni Lexicon Univers. T. 2. p. 138.*

§. 25. Non ignobile quoque nobis palinodiæ exemplum suggerit *D. Jacobus Reibingius, Patricius Augustanus*. Et si enim hic in Clericorum Regularium Ordinem cooptatus, supremoque in Theologia gradu exornatus, tantò zelò pro vindicandæ Ecclesiæ Romanæ autoritate flagraret, ut præter tria solennia vota, quarto insuper sese obstrinxerit, ac Pontifici

tifici Romano se totum mancipaverit, orthodoxamque nostram religionem omnibus machinis evertere studuerit; attamen, cum ex Scripturis id præstare conaretur, illarum fulgore collustratus densissimas Papatus tenebras magis magisque cernere, & dilucidam religionis nostræ veritatem agnoscere cœpit. Quamobrem & relicto Neoburgo in aulam Württembergicam se contulit, ac cum orthodoxam suam mentem satis declarasset, Professionem Theologicam in Academia Tubingensi obtinuit. Quod officium, præmissâ oratione revocatoriâ, auspiciatus, summâ fide gessit, & sicuti antea Pontificiæ religionis acerrimus exstitit propugnator, ita nostræ fidei postea fortissimus fuit promachus. Videre id licet *ex laqueis Pontificiis contritis, quibus adjuvante Dominò liberatus, Liberatori Deo T. O. M. libenter merito publicas gratias in Academia Tubingensi dicere voluit; nec non ex araneorum operis, contra laqueos contritos à Jesuitis quibusdam suspensis, ipsius autem stylo disjectis: inprimis autem commendari meretur, & huc maximè spectat Retractatio Enchiridii olim contra B. Matth. Hoë Saxonix Electoris primarium Theologum evulgati. Quem librum Summus ille Theologus tanti fecit, ut eo perfectiorem à se dari non potuisse, fateretur. Et quamvis multis precibus, blanditiis & pollicitationibus Pontificis asectæ eum sua in devia reducere omni nisu conarentur, ad ultimum tamen vitæ halitum in Religione Evangelicâ constans permansit, & omnibus malevolentix Pontificiæ spiculis retusis cœlum triumphans ingressus est. vid. Spizel. Templum Hon. Reser. p. 93. seqq. & Præfat. Reiking. in libros Retractat.*

§. 26. Non prætereundus *Johannes Funccius*, Concionator Regiomontanus, qui primùm coram D. Morlino se ab Osiandro seductum esse confessus, illiusque librum de Imagine Dei detestatus fuit, ac se nihil commercii amplius cum eodem habiturum & revocaturum esse promisit, atque insimul scriptum, quod pro Osiandro elaboraverat, D. Morlino, ut

ipse cum illo faceret, quicquid vellet, tradidit: sed elapsis quatuordecim modo diebus ad pristinam mentem rediit, atque Osiandri errores iterum propugnare coepit. Quos deinde, invito quamvis, in Synodo A. C. 1556. Risenburgi habita, & tandem urgentibus Statibus coram tota Ecclesia fidei suae commissa in quatuor concionibus recantavit, eandemque cum Confessione sua de Justificationis Articulo ab exteris Theologis subscripta, unacum libello, in quo causas adducit, cur Scriptum Anno 1553. à se editum cupiat sublatum, luci publicae exposuit. Cum tandem coram iudicio sisteretur ob varia crimina capite plectendus, fassus fuit, se in religione errasse, atque Ecclesiae majus damnum, quam ipsum Osiandrum, intulisse. Vide Melch. Adami in vit. Theol. Germ. p. 411. & in primis B. Hartknoch. in Hist. Eccles. Prutenicâ, l. 2. c. 2. p. 322. & c. 3. p. 338. sq. p. 408. seqq. p. 416.

§. 27. Nec puduit Celeberrimum olim in Academia Wittenbergensi Theologum, B. Balthasarem Meisnerum, unam vel alteram sententiam, & quidem super controversiis non adeo magni momenti, revocare. Statuerat ipse in Philosoph. Sobr. P. 1. sect. 2. c. 2. quest. 1. p. m. 493. Genus Theologiae esse habitum Θεωρητικόν mixtum, ex theoretico & practico conflatum, sed rem altiori indagine perpendens, animadvertit omnem theoriam directam esse ad praxin, maluit ergo Theologiam habitum appellare practicum. Nec offendatur, inquit, Lector, si quaedam Part. 1. ab hac thesi aliena non nihil viderit, sed cogitet δευτέρας θεωρίας saepius esse meliores, & in questionibus abstrusis, praesertim ubi nullum habemus manu ductorem ad ἀνεπίβητον primò statim tempore difficulter perveniri posse. l. c. P. 3. sect. 1. c. 2. quest. 1. p. 190. Similiter & cum in eadem P. 2. sect. 1. c. 1. quest. 26. p. 204. de libero arbitrio docuisset, non immerito veterem illam sententiam, qua dicitur per arbitrium mentis, per liberum voluntatis officium denotari: corrigit hanc suam sententiam l. c. P. 3. Sect. 1. c. 1. quest. 1. p. 3. scribens: A mentis iudicio arbitrii vocem dictam esse, verò non apparet simile. §. 28.

§. 28. Et summum, dum viveret, hujus Philureæ orna-
mentum, *B. Hülfemannus*, cum ipsi Anno 1652. in Auditorio
Paulinô super Breviarium disputanti, discipulus ejus genuin9 &
non minus Academiæ nostræ decus, *B. Scherzer9*, objiceret, quòd
primum salutis consequendæ medium constituerit poeniten-
tiam strictè dictam: errorem hunc ne utiquam palliare studuit,
sed in verba hæc ingenua erupit: *Multo ære redimerem hæc verba
nunquam esse expressa. Hoc tibi fateor, & omnibus, qui postulant.*
Vide *B. Hülf. Brev. à B. Scherzerò enucl. c. 9. th. 3. p. 502.*

§. 29. Neque modò nominatus *B. Scherzerus*, summâ
cum laude nobis semper memorandus, sententiam suam publi-
cè propositam circa tempus creationis mutare dubitavit, &
cum in *Brev. Eustach. quest phys 70. p. m. 344. seq* pro vernò tem-
pore rationibus aliquòt pugnasset, in *System. Theol. Loc. 3. §. 8.
p. m. 87.* sententiæ eorum, qui autumnale tempus propugnant,
apertè suum calculum adjecit.

§. 30. Progressus ad Pontificiæ sectæ asseclas, primo lo-
co *Fridericum Staphylum* adduco, qui saluberrimam Evangelii
doctrinam, quam ex ore ipsius Lutheri & Melanchthonis per
sedecim annos Wittebergæ hauserat, imò & ipse per aliquot
annos in Academia Regiomontana Theologiæ Professor creat9
suis auditoribus inculcaverat, tristissima recantatione abne-
gavit, apostataque factus multa virulenta scripta, & acerbissi-
mis scommatibus referta contra Lutheranos edidit. Ejusdem
palinodiam ex *Krügeri Catalogo Germ. mille virorum illustrium ad
Annum 1552.* refert *Freherus l. c. p. 199. B. D. Caspar Sagittarius au-
tem in Ep. ad Marcum Schönmannum p. 613.* in Annum 1554. incidis-
se perhibet. Nonnulla notatu oppido digna de Staphylo & le-
gi possunt apud *B. Hartknoch. in Hist. Eccles. Prut. l. 2. c. 1. p. 295.
seqq. & c. 2. p. 311. seqq.*

§. 31. Nec silentio prætermittendus *Joh. Pistorius Ni-
danus*, Vir Chamæleonte mutabilior, qui defuncto Patre sui
magis juris factus à religione Lutheranâ, in quâ natus & edu-

catus, primùm ad Reformatam defecit, ad eandem Marchionem Badensem *Ernestum Fridericum*, in ejus aulam receptus, adduxit, atque à tempore consecrati Gymnasii Durlacensis Reformatorum partes strenuè defendit: at paulò post mutatà aula religionem quoque mutavit, & pontificius Doctor factus religionem Papæam variis scriptis summâ cum animi virulentia propugnavit. Hæc pauca de *Pistorio*, quem *B. Rungius* in *Alyp. Colloqv. Ratisbon. c. 1* non immerito tanquam *Ecebolium ex Medico Magicis & Cabalisticis incantationibus dedito, Jctum, ex Jctò Theologum, ex Lutherano Calvinianum, ex Calvinianò Pontificium* factum notat, dixisse sufficiat. Pleniorẽ & accuratiorẽ de eodem relationem è famigeratissimi *Dn. D. Fechtii Historia Colloqv. Emmendingens. c. 3. p. 32. seqq.* haurias.

§. 32. Mentionem quoque injiciendam esse *judico Marci Antonii de Dominis*, Archiepiscopi Spalatensis, nobilis in religionis negotio vertumni, qui sive vehementioris iracundiæ adversus quosdam impetu, sive vitiò depravatæ mentis, sive ambitionis & avaritiæ, ut communis fert opinio, stimulo, agitato in Angliam se recepit, & pro pontificia reformatam religionem adoptavit. Quod præter alia indicant versiculi, illius imagini subjecti:

*Ille ego Dalmatiæ Antistes gentisque Liburnum,
Cur sum nunc hospes, Magne Britannc, tuus?
E patria in terris, Roma Babylone relicta,
Exivi, in cœlis ut patria potiar.*

20
Ast suâ se opinione ac spe delusum cernens, Romam rediit, ibique palinodiam cecinit, ac libellum, in quò errores suos detestabatur suâ manu Cardinalibus distribuit, ut oculatus testis *Janus Nicius Erythreus* in sua *Pinacoth. P. III. p. 78.* memorat. Non diu post, cum non veritatis amore, sed temporis gratiâ religionem reformatam ejurasse crederetur, ac convasatis rebus omnibus reditum ad Reformatorum castra pararet, in carcerem conjectus ex animi ægritudine vel vene-

no

no animam exhalavit. Defuncti cadaver unacum libris rogo impositum, cineresque ejus in Tiberim sparsi. Vid. præter allegatum *Erythraeum l. c. Grammond. Hist. l. 3 p. 196. seq. & Calixtum in apparatu Theol. p. 195. seq.*

§. 33. Ad recantantium etiam numerum *Johannes Morinus* è *Congregatione Oratorii in Franciâ* pertinet, qui *Hugoneticam*, ut vocatur, religionem, quâ in juventute *Rupellæ* atque *Lugduni Batavorum* probè imbutus fuerat, ejuravit. Nam *Parisiis* nomine & eruditione *Cardinalis Peronii* captus *Pontificiorum* hæresi se associavit, atque *Congregationi Oratorii* nomen suum dedit. Consule *Vitam ejus à Richardo Simonio consignatam, & Antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis Londini 1682.* editis præfixam.

§. 34. Ad *Reformatæ Ecclesiæ Theologos* pedem promoturo se repræsentat *Thomas Crammerus, Cantuariensis Archi-Episcopus*, qui hæreseos crimine accusatus & *Oxonium* abductus cum *Pontificiis* contentionis ferram reciprocare coactus fuit: sed finitâ disputatione ceu veritati succumbens & temerè renitens in carcerem detrusus, ac in eo multis verborum lenociniis, æquè ac diris comminationibus ad defectionem sollicitatus, victas tandem, biennio elapsò, dedit manus, & sive spe, sive metu actus palinodiæ sibi propositæ, ac postea typis evulgatæ, subscripsit. Ast cum à *Reginâ* ob vetus odium adhuc flagrans morti adjudicaretur, & *An. 1556. d. 21. Martii* è carcere in templum *S. Mariæ* deduceretur, ut publicè revocaret, atque à *Colò*, post concionem funebrem, jussu *Reginæ* eidem per duas horas habitam, ad *constantiam*, & fidei suæ catholicæ publicam confessionem admoneretur: tunc ille palinodiæ palinodiam fecit, ardentibus lacrymis Deo lapsum suum deprecatus est, subscriptionem à se factam revocavit, *Papam Anti-Christum* pronunciavit, & *Evangelicâ* in fide se moriturum affirmavit. Quod ipse etiam præstitit & rogo impositus flammarum vi tandem suffocatus
pla

placide exspiravit. *Melchior. Adam. Vid. Theol. Exter. p. 1. seqq.*
& Freb. l. c. p.

§. 35. Thomæ Crammero non dissimilis admodum fuit *Thomas Wittlaus*, qui ob conciones ad populum habitas carceri inclusus, & ab Episcopò Londinensi blanditiis ac pollicitationibus eò adactus, ut à Reformatorum fide deficeret, adversariorumque opinionibus subscriberet, cum publicè doctrinam, quam hætenus professus erat, revocare juberetur, à Notario Jonsono palinodiæ formulam sibi relegendam expetiit, traditamque sine morâ in plurimas particulas dilaceravit. Quâ de re certior factus Episcopus Bonerus una manu barbam Wittlæi arripuit, alterâque faciem ejus adeo percussit, ut copiosus sanguis è naribus efflueret, colaphisque malè cæsum in terram projecit, & ad se reversum carceri rursus includi jussit. Sed hæc Episcopi rabies ipsum ab instituto avocare, & ad palinodiam canendam compellere haud potuit; imo dirum ignis supplicium experiri, quam fidem reformatam mutare, maluit. *Vid. Crocii Martyrol. Magnum.*

20
§. 36. Inter palinodiam canentes & *Patricius Adamsomius*, vero cognomento Constanus, pistoris cujusdam filius, jure optimò referri meretur. Hic aliquot annis pastoris munere in Ecclesia Sirensi functus, gulæ studio ad Jurisprudentiam animum applicuit, atque cum juvene quòdam, cui Ephorus datus erat, in Galliam abiit, ex quâ deinde Jurisprudentiâ leviter tinctus rediens causidici cujusdam filiam in matrimonium duxit. Sed cum in luce forensi cum laude & lucro versari desperasset, ecclesiasticum munus rursus ambiit, atque impetravit. Evivis sublato Johanne Douglassio Archi-Episcopo Andreapolitano iterum gregem suum deseruit, & in aulam irrepfit, ut ibi concionatorem ageret, & ad Archi-Episcopi fastigium eveheretur. Voti sui compos factus, licet jurisdictionem Episcopalem sæpius damnaret, tamen cum delecti à Synodo Legati petiissent ab ordinibus
Regni

Regni & sanctiore Regis senatu, ut libellum de disciplina raturum haberet, ille clanculum dedit operam, ne id fieret. Cum Legatus in Angliam abiisset optimos quosque sive Nobiles sive ministros incesto ore laceravit: litteris ad reformatas Ecclesias missis Ecclesiarum Scoticarum politiam sinistris sermonibus vellicavit: cum Episcopis Anglicanis nefaria consilia in dispendium vel potius interitum disciplinae Ecclesiasticae contulit. Post reditum suum in Scotiam autor fuit, ut presbyteria funditus everterentur, & Regi absoluta potestas in causis Ecclesiasticis decerneretur. Hinc edidit libellum famosum falsò inscriptum: *Declaratio intentionis regiae*, in qua Ordo Ecclesiae maledicis verbis impetitur, & pii lacerantur. Ob hæc aliaque flagitia tandem ipse Adamsonius Synodò Fifanâ excommunicatus in sese descendit, & ab eadem Anno 1591. absolutionem & reconciliationem jam valetudinarius expetiit, & malè actorum palinodiam transmisit. Quam cum Ejus vita *A. Melvini Musis* subjunctam invenies.

§. 37. Relicto Theologorum Ordine, ex Jctis tantum quatuor brevitate studio, allegabo, quorum duo in causâ religionis, duo in aliis mentem suam mutarunt.

§. 38. Ex iis qui sententiam in religionis negotio mutarunt primus prodeat *Helfricus Ulricus Hunnius*, primum in Academia Marpurgensi Jurium Professor & Pro-Cancellarius, post Trevirensis Electoris Consiliarius & Cancellariae Spirensis Director, magni & de Ecclesiâ orthodoxâ immortaliter meriti *Aegidii Hunnii* degener filius. Hunc et si Parens optimus ab incunabulis in fide Evangelica probè imbui curavisset, ipse tamen turpis ambitionis œstro & majoris lucri spe percitus ab eadem ad papatum deficere, ac paternum nomen, longè inter nostros celeberrimum, quòque ille planè indignus est, nefariè conspurcare, & ignominiosâ maculâ afficere, non erubuit. Cujus *argumenta Pontificia indissolubilia* B. D. *Himmeli* in *Solutione sua* A. 1634. edita solubilia esse satis demonstravit. Eidem pro fide pontificia pugnanti ipse frater germanus B. D. *Nicolaus Hunnius*, Lubecensium Antistes longè meritissimus, ac B. D. *Haberkornius* scripta opposuerunt. vid. B. D. *Cass. Sagitar.* c. 1. p. 628.

§. 39. Hunnio jungere placet *Christophorum Besoldum*, Virum,
D dum

dum viveret, fama e literis ac prudentiâ politicâ longè clarissimum, ac primùm in Tubingensi, post Ingolstadiensi Academiâ Jurium Professo- rem publicum, qui itidem Lutheranam religionem cum Pontificia com- mutavit, & ne temerè illud fecisse videretur tredecim prægnantes causas idiomate germanico publicavit, quibus inductus crediderit veram & fal- vificam fidem unicè in Romanâ Catholicâ Ecclesia reperiri. Sed illa motiva, quibus per tredecim graduum laqueos ille se illaqueari sustinuit, *B. Dannb. in Theol. Conscient. Part. 2. sect. 2. Dial 3. art. 2. p. 558. seqq.* li- bravit, ac minus ponderosa esse, accuratè ostendit.

§. 40. Ex iis, qui in Juris argumento suam sententiam correxerunt, primas meritò assignamus *Georgio Adamo Struvio*, Illustri Academiæ Sa- lanæ olim Sideri, Jctorum hujus ævi Coryphæo, qui in Syntagmate suo egregiam prorsus exhibuit modestiam, emendando & retractando ea, quæ falsa judicarat. Multa loca darem, si necessitas id à me exige- ret, sed brevitatis studiosus duo tantum adduco. *Exerc. 21. th. 37. in priori Edit. posuit, quod is, qui se obtulerit deposito, de levissima quâque cul- pâ teneatur. In altera, quod is, qui se obtulit deposito saltim levem cul- pam & insimul custodiam præstare teneatur. Exerc. 33. th. 29. quod per Constitutionem Electoralem p. 3. c. 8. Avus & Avia exclusi sint, ita ut ipsis pupillari substitutione legitima adimi possit. In posteriore, quod Avus & Avia per istam constitutionem non exclusi sint,* affirmat.

26
§. 41. Huic subjungo, doctrina pariter ac famâ Excellentissi- mum *Gabrielem Schwederum*, quem non puduit nævos in Introductione sua in Jus Publicum deprehensos censoriâ notare virgulâ atque emen- dare. Cum enim *Dn. D. Lynckerus* in Analectis ad hanc Introductio- nem quædam à veritatis tramite abire ostendisset, tantum abest, ut id ægro animo tulerit Schwederus, ut potius juxta Analecta editio- nem correctiorem paraverit. Ita enim in *prefat. ultime Edit.* loqui- tur: *A Celeberrimo Lynckero in editis ad hanc Introductionem Ana- lectis, bene monita grata mente exosculatus emendavi.* Et quo ma- gis modestiæ & veritatis studium in Consultissimo Schwedero pate- scat ex *Pref. prior Edit.* præmissa pauca delibo: *Nullum, inquit, planè errorem esse commissum, neutiquam asseveraverim, hominem enim me esse sciõ, quod si verò de iis amicè monitus fuero, non tan- tum sponte concedam, sed dictis quoque vel hoc ipso autoritatem de- tractam cupio. Studium partium & assentationem à me quoque lon- gius abesse, ex verbis, nil nisi candorem & veritatis studium spirantibus, cuique facile constabit.*

§. 42. Nec desunt ex Medicis, qui ingenuâ confessione erro- re.

errores suos accusarunt & damnarunt. Inter quos agmen merito ducit *Hippocrates Cous*, qui ob raram in arte medicâ experientiam maximi olim habitus fuit, adeò, ut *Macrobius* illum in *Somn. Scip. l. 1. c. 6.* infallibilem deprædicet, scribens: *Hippocrates, qui tam fallere, quam falli nescit.* Sed hanc laudem à se alienam esse satis ostendit, errorem quem in curando aliquo homine designaverat, luculenter confessus. vid. *Ej. de Popul. morb. V. §. 14. p. m. 179.* Ob quam ingenuam erroris confessionem summis afficitur laudibus à *Cornel. Celso de Med. l. 8. c. 4. de Calvaria Curatione: A futuris se deceptum esse Hippocrates memoria prodidit, more scilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt.* Adde *Plut. de Profect. in virt. p. m. 82.*

§. 43. Ab hoc digredior ad *Henricum Cornelium Agrippam*, celebrem in orbe Medicum sed Necromantiæ suspicionem infamem, vid. *Paul. Jovium in Elog. doct. Viror. p. 186. sq. & Opmeer in Opere Chronograph. p. 486.* Natus 1486. Colonia Agrippinæ ex nobili a *Nettesheim* familia & prope *Lugdunum* in *Gallia* 1534. ignobili in diversorio denatus, plurimi enim & ferè omnes ob necromantiam suspecto hospitium denegaverant. Hic dum adhuc juvenis erat aliquem de occulta philosophia librum in vulgus emisit, quem verò, quibus oculis ad maturiorem ætatem provectus aspexerit ex *lib. de Vanit. Scient. c. 48. p. m. 82.* patet, cujus sub fine in hæc verba erumpit: *De Magicis ego scripsi juvenis libros tres, amplo satis volumine, quos de occultâ Philosophiâ nuncupavi, in quibus quicquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior, hac palinodia recantatum volo; permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, quod sciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari.* Optima sane verba, an vero ingenua, asseverare dubito, cum ad ultimum usque halitum magicis usum fuisse artibus ferant, unde non vana de simulatione suspicio; sed ferat quam volet quisque sententiam.

§. 44. Sed cur ad tam longe abhinc dissita excurro tempora & loca, ad declarandam Medicorum modestiam, cum & inter nos hac ipsa in *Academia* vivat Medicus longe Excellentissimus & undiquaque celeberrimus, qui commode illis accenseri possit. Est is *Dn. D. Johannes Bobn* cujus longe elegantissima &

observatione dignissima verba apponere juvabit. Sic autem ille:
*Exerc. Physiol. VIII. 1671. habita. Si veritas verus speculationum
& studiorum nostrorum finis est, sane haud culpandus, qui in il-
lius honorem suam mutat, imo publica voce rejicit propriam &
olim propugnatam sententiam, quique vinci mavult, quam oppri-
mere, vel tyrannidem quandam exercere in oppressam dictam verita-
tem. Veniam proinde facile inveniet apud veritatis propugnatores
& Hippocraticos Medicos. i. e. quibus calumniandi animus deficit,
hac Disputatio, si Autoris sui profitebitur errorem. In VII. & ante
biennium circiter exhibita Exerc. Phys. pro cordis munere sangui-
ficandi pugnavi, imo forsitan in ipso certamine hujus partes dese-
ruissem, nisi festinationis prolem metuissem. Hac tamen sese sisten-
te occasione, non erubesco illos defendere, quos tunc temporis im-
pugnabam, Viros de Asclepiadis republica summè meritos, Har-
veum &c.*

§. 45. Agmen claudant Philosophi, sub quorum nomine omnes Theologis, Jctis ac Medicis contradistinctos intellecto scupio.

§. 45. Ex iis autem, primum afferre consultum duxi, qui in rebus fidem concernentibus opiniones suas revocarunt.

§. 46. Primum autem inter hos locum assignamus Petro Abailardo, quem errores suos circa varia fidei & religionis Christianæ capita tandem correxisse non solum *Petr. Cluniacens. l. 4. ep. 4. ad Innoc. II. Tom. 22. Bibl. Max. f. 907.* sed ipsius Abailardi Apologeticus seu Confessio fidei attestatur omnium luculentissimè, ubi inter alia hæc verba occurrunt: *Scripti aliqua per errorem, qua non oportuit, sed Deum testem & judicem in animam meam invoco, quia in his de quibus accusor, nil per malitiam aut per superbiam presumpsi.* Plura lege apud B. Spizel. in litt. feliciss. p. 141. seq.

§. 47. Hunc excipiat Justus Lipsius, famosus ille vertumnus, qui religione non secus ac nummo usus est, & cum primum in sacris pontificiis educatus esset, in Lutheranorum castra se recepit in Acad. Jen. Fac. Phil. Assessor, Histor. & Orat. P.P. constitutus: paulo post quasi vertigine abreptus ad Reformatos & tandem ad Papæos transit. *Vid. B. Spiz. in Scrut. Atheismi. B. D. Sagitt. l. c. p. 608. & Dn. D. Meyerum in Disp. de Wegensbüchlein c. 3. §. 2. p. 27.*

§. 48. Nec ignoramus Petrum Bertium, Regis Galliarum Cosmographum, relicta Reformatorum confessione Arminiano-

rum

rum fidem amplexum, eaque propter ab officio suo remotum Lu-
tetiam discessisse, ibique ad Pontificios, quos antea scriptis editis
impugnauerat, defecisse. Confer ipsius Bertii *Oration.* Parisiis ha-
bitam, qua suæ a Reformatis ad Pontificios defectionis causam
recitat. Adde *Corberi Anti Bertium.*

§. 49. Quem etiam latet *Casparum Scioppium*, libitinarii
filium, religionis Reformatæ alumnum, nidore papalis culinæ in-
vitatum Romam se contulisse, ibique cum fide germanica reformatâ
quoque religionem exuisse, & ne id frivole fecisse censeretur, par-
tes pontificias, studio minimè vulgari, sed ardore pene furi-
oso, defendendas suscepisse, atque contra summos viros Jo-
seph. Scaligerum, Philip. Mornæum & Isaacum Casaubonum,
imo ipsum Serenissimum Magnæ Britanniae Regem Jacobum, vi-
rulentum calamum strinxisse. Vid. B. *Bernegg. in observat. Miscell.*
num. 13. p. 84. seqq.

§. 50. *Isaacum Peyrerium* duplici palinodiæ genere incla-
ruisse, constat. Primo enim errorem suum de hominum ante Ada-
mum existentia ex nimia curiositate & philautia ortum, & à B. *Dann-
hawero, Hilperto, Ursino, Maresio*, aliisque prostratum ejuravit;
Deinde religionem, quam cum ipso lacte materno imbiberat, defe-
ruit, & Pontificiæ adhæsit. *vid. ipsius Epist. in qua exponit ratio-
nes propter quas librum de Præ-Adamitis ejuraverat, An. 1657. Rom.*
edit. adde Spizel. in litt. infel. p. 827. seqq.

§. 51. In scenam quoque mihi producendus est vir longè clarissimus
Lucas Holstenius, qui in urbe Minervæ non minus, quàm Mercurii cul-
toribus maxime incluta, Hamburgo, scholæ moderamen tenuit, mox
eam spartam ambitionis cæstro percitus reliquit, variisque regionibus
peragratis, tandem Grotium convenit, qui dubium adhuc an Ro-
manæ nomen daret Ecclesiæ ad apostasiam induxit, dicens: *nullam
esse in doctrinâ Ecclesiam puriorem, in cultu & moribus corruptio-
rem*, quod ipse Holstenius cuidam docto enarravit, ac Grotio postea
Rivetus in Διαλογ. Grot. objecit, referente Dn. D. Meyero in Dissp.
*cit. c. 5. §. 4. ubi insimul ex Lambecii Biblioth. Vind. T. 1. P. 13. Epita-
phium à Card. Barbarino illi erectum exhibetur.*

§. 52. Lucæ Holstenio uti in officio Scholastico, ita quoque
in apostasia successit *Petrus Lambecius* avunculus, quem dum ille per
biennium in ædibus suis aluit, doctrinæ pontificiæ amore procul du-
bio imbuat, ita ut deinde ipsum *Gvilielmus Gothofredi, Jesuita*, ca-
tholicæ religionis propagandæ causa Hamburgi degens, cum quo
fa-

familiarissimè vixit, facilius in uassam suam pertrahere, & per *Philippum Millerum* ad Imperatorem Augustissimum aditu conciliato, ad fidei pontificiæ professionem adducere potuerit. Vid. ipsius *Lambecii Biblioth. Vindob.* T. 1. p. 4.

§. 53. Adducturus adhuc quosdam, qui circa res ad religionem minimè spectantes opinionem suam retexuerunt, non possum non meminisse *Johannis Ciampoli*, *Florentini*, qui *Virgilium* & *Petrarcham* eo nomine felices prædicavit, quod tot seculis Principes Poëtarum habiti essent, cum nihil in eis nisi humile atque vulgare inveniretur, nec comparandi quidem essent ad eos, qui sua ætate, omnium eruditissima, florerent. Die item quòdam, cum per urbem cum *Gaudentio Paganino* aliisque eruditis viris rhedà veheretur occasione arrepta cœpit ita in *Virgilium* & *Horatium* invehi, ut assereret, nemini unquam iniquius poëtæ nomen fuisse comparatum, quàm illis. Etenim nullo esse homines ingenio, nullâ eruditione, nullis literis, & quod rem continet, nullâ inventionem, sed puerorum similes, qui tum primû in scholis versus facere discerent: contra, se, divino quodam munere, omnes summi poëtæ numeros fuisse adeptum, in quo omnes eæ virtutes conspicerentur, quarum alii fuissent expertes. Quod cum *Paganinus* ferre non posset, stomachans, è rhedà se ejecit, neque deinde ausus est, eo ubi ipse esset, accedere. Testis tamen idem est *Erythraeus*, ex quo hæc attulimus, paulum ante suum è vita discessum totam suæ sententiæ rationem mutasse, eosque poëtas in veterem dignitatis locum, unde opinione sua deturbaverat, reposuisse. vid. *Pinacoth. P. II. p. 64.*

20
§. 54. Nec sicco, ut dicitur pede, prætereundus *Marcus Antonius Bonciarius*, felix *Ciceronianæ* eloquentiæ imitator, qui illum pressis secutus pedibus ut & formulas juratorias Ethnicis aliàs solennes & usitatas, consuetudine suas fecerit. Quod dum in epistola à *Bonciario* ad se scripta observaret *Franciscus Bencius S. J.* reprehendit, & taxat in eò his verbis: *Illos tuos Deos, tuum illud Hercle abesse voluissèm ab Epistola Tua - - Ciceronis quidem suavitatem, redoleant scripta tua, sed tamen, ut à Christiano homine profecta videantur. Ad quæ summa usus modestia reponit: Prorsus persuadeat mihi vel autoritas tua, vel etiam, ut scribis, cogitatio officii mei, ut posthâc Deos Veterum longe abesse à lingua mea & calamo velim, jam non medius fidius, non me hercule, non ullum hujusmodi usurpem loquendi genus: quæ quidem, ut Tu recte conjecisti, Veterum lectio olim*

tim mihi affricuit imprudenti, recentiorum consuetudo aluit, & confirmavit. vid. Benc. Ep. Marpurg. edit. p. 49. & 50.

§. 55. Franciscus Rosarius cum Anno 1580. Ducum Lotharingæ Genealogias à Carolo Magno deductas publici juris fecisset, magni reus judicabatur criminis; cuius veniam tandem impetravit, ea tamen lege, ut publicè palinodiam caneret. vid. Celeb. Dn. Weisum in *Idea boni Historici. c. 1. §. 4.*

§. 56. Exempla longè plura, quæ mihi non ignota sunt, facile afferre potuissem, sed cum non Tractatum, sed specimen saltim aliquod edere propositum fuerit, iisdem referendis colophonem impono, ad Epicrisin pedem promoturus.

§. 57. Dubiū autem esse potest, quin palinodia sit longe honestissima. Qua de causa expresse *Siracidis IV. 30. & 31.* scribit: *Ne contradic veritati ullo modo, & de inscitia tua confundere; Ne te pudeat confiteri peccata tua, & noli fluxui amnis vim asserere.*

§. 58. His enim quid innuit vir sapientissimus aliud, quam ne illi, qui veritatis vi persuasi errores agnoverunt, quod salutis initium vocat *Seneca Epist. 28.* unquam erubescant in viam redire. Et quare erubescant? pudetne errasse? En communis mortalium fors est, qui errores cum lacte fugunt, felix qui in tempore eos animadvertit. Offendimus cuncti, quis enim tam lynceus, ut in tantis tenebris nusquā incurrat? singulorum nostrorum mentes pravitate erroribus primum imbutæ sunt, quorum palinodiam quasi canimus, cum doctrina illas erudit. Adde quod plerumque in juvenili ætate, ubi nondum satis firmata ingenii vis est, falsas opiniones facile amplectimur, quare crescentibus annis deposuisse non pudori erit. Nemo enim ignorat teneriores annos immaturis uvis esse comparandos: ab his acerbata vina, ab illis non undique perfecta expectanda sunt.

§. 59. Nec vereare, ne levitatis famam retractando incurras. Errores enim mutare non inconstantia dici debet, sed constans potius robur sequendi rationem ducem, quale est in bracteola venti indice, in omnem se partem una cum vento vertere, aut in acu nautica ante non conquiescere, donec ad stellam polarem opposita sese stiterit. vid. *Saav. Symb. 65. p. 529.* Quis probri insimulavit Phidiam, quod, cum apud Eleos Jovis simulacrum fingeret, ipse post fores stabat, emendaturus, quæ à prætereuntibus corrigerentur. *Lucian. Ἐπεὶ τῶν εἰκότων. T. 2. p. 22.* Sic nec illis erit dedecori, qui pictorum more, ubi errarunt, spongiam adhibent. Eos pudeat, qui à bono ad malum defleunt, hos verò nequaquam, quos juvat, ut vulgò dicitur, *παλινδεξιμῆ*

¶

σαι μάλλον, ἢ κακῶς δογματῆν. *Lucian. in Asin. T. 2 p. 89.* Quare tantum abest, ut pravas corrigere opiniones indecorum sit, ut potius turpissimi sint, qui in iisdem, quamvis conscientia convicti, tamen persistunt. Sunt scilicet tales odio sane & risu digni, qui gloriam etiam ex erroribus aucupari cupiunt; sed videant, ne cum Ixione, qui suis malefactis atq; concubitu cum Junone gloriabatur, meritas tandem poenas luant. Certè minus generosi animi signum est, conscientiam contra scientiæ suæ pravæ perseveranter insistere. Huc illud ex Sircididis monito modo adducto spectat: *μη βιάζεσθιν ποταμῶν.* Æque enim vana operantur, qui meliora sibi conscii veritati obnituntur, ac qui adversus torrentem brachia dirigunt. Ejusmodi hominum pertinaciam vix satis detestari novit *B. Augustin.* quando ait: *Humanum fuit errare, diabolicum est, in errore cum a nimiositate persistere. T. 10. Opp. p. 371.*

§. 60. Ast non tantum licet atque decet palinodiam canere, verum etiam, veritate satis cognita atque perspecta, ad id quodam quasi jure obligamur. Oportet enim omni tempore veritatis esse studiosum, omnemque curam in illa promovenda adhibere. Jam autem, quâ ratione illustrior ejus lux reddi poterit, quam si errores tum apud nos, tum apud alios extingvamus. Hinc etiam, quamvis levioris momenti errata aliquis foverit, tamen emendanda illi ipsa sunt, non equidem ut palinodiam ea de causa semper peculiarem scribat, sed, cum occasio se præbet, illis cum quibus conversari solet, se respuisse indicet. Cum vero gravioribus quis implicatus fuerit erroribus, quales sunt, qui veræ Theologiæ adversantur, aut in republica turbas excitare possunt, tum vel maxime palinodia opus est. Fas enim ut orbi, in quò errores disseminasti, commonstres te eorum poenitere. Præcipue autem viris in illustri loco positis id observandum est. Horum enim errores veluti fontes in montibus orti in plures partes dimanare, pluresque adeo secum rapere solent. Fas ergo ut quos primum seduxerunt, suo ipsi exemplo reducant. Cavendum modo, ne nimis tarde ad palinodiam accedant, cum scilicet error latius jam serpsit, atque in multorum animis firmiores radices egit. Tunc enim timendum, ut ex illis evelli possit. Præstat tamen hic quosdam reducere, quam pluribus errandi occasionem suppeditare.

§. 61. Hic habes L. B. quæ circa palinodiam in medium afferre placuit. Si quæ fortè erunt, ubi & me eandem canere oportebit, plane non ero difficilis. Non enim mihi pudori illud erit, cum ad immaturæ ætatis fructus referendum sit, quicquid hic proposui. Dirigat autem supremum Numen omnium in fide errantium mentes, ut cœlesti veritate convicti tandem errorum palinodiam canant.

F I N I S.


ULB Halle 3
005 309 069




SB

V877







1697, 12 42
21

V.
ODIA
ORUM,

DE
CHMIDIO,
ntiæ Prof. Publ. Colle-
& Seniore, Alumnorum
lt. Philosophicæ
no,
ore *Suo æternum*
ndo

SPONDENS
RUS OLEARIUS,
Th. Stud.
R. cl. loc XCVII.
C.

Æ,
ELIS TITIL.

